

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Infernus m  
cum fontibus proximo et primis

Eicentur in tenebras exteriores,

ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant.

Nam fletus de ardore stridor solet excitari de frigore.  
Vbi duplex ostenditur esse gehenna,  
scilicet nimii frigoris et intollerabilis feruoris.

Gregorius super illud Matthei VIII.: Eicentur et cetera.

*Fili autem regni eicientur in tenebras exteriores;*

*ibi erit fletus et stridor dentium.* Filios autem regni Iudeos significat, in quibus ante regnauit Dominus. Tenebrae semper interiores sunt, non exteriores. Sed quoniam qui a Domino expellitur foras, relinquit lumen, idcirco exteriores tenebrae nominatae sunt. “Ibi erit fletus et stridor dentium”. Si fletus oculorum est et stridor dentium ossa demonstrat, uera est ergo corporum et eorundem membrorum, quae ceciderant, resurrectio. Vnde et per metaphoram magnitudo exprimitur tormentorum. Interiores quippe tenebras dicimus caecitatem cordis, exteriores uero tenebras aeternam noctem damnationis.

Tunc damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur, quia illic inuitus proicitur in noctem damnationis, qui hic sponte cecidit in caecitatem cordis.

Ibi “fletus” quoque et “stridor dentium” esse perhibetur, ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant; illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias uersabantur, quatenus singula quaeque membra suppicio subiaceant, quae hic singulis quibusque uitiis subiecta seruiebant.

Vbi fletus quoque et stridor dentium esse perhibetur, ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant, illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias uersabantur, quatenus singula quaeque membra suppicio subiaceant, quae hic singulis quibusque uitiis subiecta seruiebant.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.38.13  
(CCSL 141, R. Étaix ed., pp.372-3, ll.336-340).

Fletus de ardore, stridor dentium solet excitari de frigore.  
Vbi duplex ostenditur Gehenna,  
id est nimii frigoris et intolerabilis esse feruoris.

Rabanus Maurus, *Expositio in Mattheum*, 3 (CCCM 174, B. Löfstedt ed., pp.237-8, ll.71-92). cf. Matt. 8:1.

Fletus de ardore stridor dentium solet excitari de frigore.  
Vbi duplex ostenditur gehenna,  
id est nimii frigoris et intolerabilis esse feruoris.

Beda Venerabilis, *In Lucae euangelium expositio*, 4.13  
(CCSL 120, D. Hurst ed., p.272, ll.1661-1663).